Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2779
Quelle:
Copyright:

V. *fol.* 152. minio *Nunc dicendum est de vicijs et aliquibus virtutibus eis oppositis.* Initium: *Notandum, quod ut Magister docet 2° Sententiarum* &c. Ejusdem *Nicolai de Dünkelspühl.* Vide *Indicem* et *edit. supra cit.*

VI. *fol.* 254. fine titulo Tractatus ejusd. Autoris *de tribus Partibus Poenitentiae*, qui incipit: *Secundum Magistrum et doctores in 4° sententiarum* &c. et habetur in *Indice* et in *edit. cit.* Ad calcem adhaeret ei *Tabula.*

DCCLXIII.

205 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 312. f. currente calamo scriptus, olimque, ut in fronte legitur, *ad Monasterium sancti Georij in Herczogenburga* pertinens exhibet sequentia: I. Sermonem ἀδέσποτον *de circumcisione Servatoris*, qui incipit: *Maxima res hodierno die, Patres optimi, a me agenda est: et haud scio an fortassis omnium maxima, que nostris in ceremonijs atque in tota religione sit a majoribus nostris constituta* &c. Et finit: *partem etiam magnitudini rei, cui nulla potest par oratio reperiri, assignetis.* Cum Sermonem hunc a dictionis puritate commendandum aliae *Orationes* excipiant, quae *Gasparini Barzizii Bergomensis* sunt, nullus dubito et hunc *Gasparino* adscribendum esse, quamvis *Josephum Alex. Furiettum* fugerit, cui Opera *Barziziorum Gasparini* patris et *Guiniforti* filii *Romae* 1723. 4. debemus.

II. *fol.* 3. Sequitur Oratio *in laudem Francisci Assisiatis*, quae incipit: *Cum sepe numero, eximii patres ac domini prestantissimi, illos oratores* &c. et habetur in mox memorata *Gasparini* edit. p. 45.

III. *fol.* 4. p. 2. Oratio ad *Alexandrum* V. P. M. recens electum habita a *Lauro Bragadeno* Patritio Veneto, itaque anno 1409. hoc initio: *Cum omnes, qui tuam adeunt sanctitatem* &c. Extat in editis p. 15. sed observa, Codicem nostrum pro: *et nos ipsos fratres eius patrueles*, legere: *et nos ipsos nepotes suos.* Pluries porro *Gasparinus* stilum suum aliis commodavit.

IV. *fol.* 5. p. 2. Oratio ad *Ferdinandum* dictum *Iustum* Regem *Siciliae*, cum ei an. 1412. *Aragoniae* corona accederet. Incipit: *Uellem hoc die, rex clarissime, ea mihi vis ingenii ac dicendi copia esset* &c. In editis p. 27.

V. *fol.* 6. p. 2. Oratio ad *Regem* quendam panegyrica et gratiarum actoria, maxime ob promota oratoris literaria studia. Initium est: *Si recte a nostris maioribus Illustriss. Rex et princeps serenissime olim comparatum fuit* &c. Regis hujus origo a *Pipino* et *Carolo M.* deducitur, a quibus Orator ad Avum ejus *Petrum*, et Patrem *Zachetum* reges delabitur. Praeterea bis eum *Insulae* dominari innuit. Est is itaque *Johannes* seu *Janus* II. *Cypri* rex, qui e *Francis* oriundus Avum habuit *Petrum* I. et Patrem *Zachetum*,